Universitätsbibliothek Paderborn

S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avrevs Adversus profanas Hæreseōn novationes

Vincentius <Lerinensis>

Coloniae, 1652

Caput XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-55177

Visual Library

prætereuntes viam qui dirigunt iter
ſuum. Qui eſt, inquit, veſtrum in-
ſipientiſſimus divertat ad me. In-
ops autem ſenſu exhortatur, dicens:
Panes occultos libenter attingite, &
aquam dulcem furtim bibite. Quid
deinde? At ille inquit, neſcit, quo-
modo terrigenæ apud eam pereant.
Qui ſunt iſti terrigenæ? Exponat
Apoſt. Qui circa fidem inquit, ex-
ciderunt.

CAPUT XXVII.

SEd operæpretium eſt, totum ip-
ſum Apoſt. capitulum diligen-
tius pertractare. O Timothee, in-
quit, depoſitum cuſtodi, devitans
prophanas vocum novitates. O, ex-
clamatio iſta, & præſcientiæ eſt pa-
riter & charitatis: prævidebat enim
futurós, quos etiam prædolebat er-
rores. Quis eſt hodie Timotheus?
niſi vel univerſa Eccleſia, vel ſpecia-
liter totum corpus Præpoſitorum,
qui integram divini cultus ſcien-
tiam vel habere ipſi debent, vel aliis
infundere. Quid eſt depoſitum cu-
ſtodi

ſtodi? Cuſtodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminaverat filius hominis in agro ſuo. Depoſitum, inquit, cuſtodi: Quid eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum, quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis rem ad te perductam, non à te prolatam in qua non auctor debes eſſe: ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator non ducens ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi: Catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatumque conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia ſubjicias: nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem ad naturam planè. O Timothee, ô

Saceꝛdos, ô Tractator: o Doctor, ſi te divinum munus idoneum fe-
cerit, ingenio, exercitatione, do-
ctrina, eſto ſpiritalis tabernacu-
li Beſeleel pretioſas divini dogmatis
gemmas exſculpe, fideliter coapta,
adorna ſapienter; adjice ſplendo-
rem gratiam; vetuſtatem, intelli-
gatur te exponente illuſtrius, quod
antea obſcurius credebatur. Per te
poſteritas intellectu gratuletur,
quòd antè vetuſtas non intelle-
ctum venerabatur: eadem tamen
quæ didiciſti, ita doce, ut cum di-
cas novè, non dicas nova.

Quomodo in Eccleſia, quæ depoſitum cuſtodit, profectus habeatur religionis.

CAPUT XXVIII.

SEd forſitan dicit aliquis: Nul-
luſne ergo in Eccleſia Chriſti
profectus habebitur religionis? Ha-
beatur planè, & maximus. Nam
quis ille eſt tam invidus hominibus
tã exoſus Deo, qui iſtud prohibere
con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN